

AD AMPLISSIMUM

AC PRUDENTISSIMUM SENATUM

Vrbis Noricæ, Carmen nuncupatorium
Ioachimi Helleri Leucopetrei.



Oridos Herciniæ magni facer ordo Senatus,
Qui regis imperio, & moderatis legibus istam,
Quam flauo mediam Pegnesus diuidit amni,
Vicinisq; aliæ numerosæ in saltibus Urbem,
Agnoscut dominam, & sancti pia iura Senatus,
Sponte colunt. Meccenatum ueneranda meorū,
Lumina, præclaris proceres natalibus orti
Saluete, & nostris placidas adiungite uotis

Mentes, ac mites cæpto aspirate labori.
Septies emensis Titan sua lumina signis,
Septenasq; hyemes, toridem cum mæsisibus æstus
Reddidit, ut primùm me Norica rura benigno
Hospitio excepere, locumq; dedere Camœnis
Haud inimica meis. Vbi non ingrata magistris
Prima suis cecinit mea Pieris, altera magnis
Principibus placuisse fuit non improba cura,
Quos inter claros Heroas nostra reponant
Secula, uirtutum decora immortalia. Iustus
Ad uos ordo Patres me nunc ducit, & oro,
Qua præceptores mea carmina mente probarunt,
Et qua principibus placuerunt fronte benignis,
Talibus excipite hæc animis iuuenilia scripta,
Quæ rectis studijs, & uestro dantur honori.
Non hoc ambitio, non assentatio suaserit.
Sed doctis celebrata uiris, atq; artibus almis
Numina uestræ Vrbis dexterrima, nomen auitum
Laudatæ toties uirtutis, & integritatis,
Quod bona, & utilibus studijs propensa uoluntas,
Cum meritis peperit magnis tibi, clare Senatus.
Ista uiri docti sensere, & carmine grato
Venturis memores mandarunt inclyta seclis,
Quæ benefacta bonis studijs Respublica uestra
Contulit, ingenijs clara excellentibus. Atq; hæc
Laus non postremas est inter habenda: Sed ipsi
Hoc commune Magistratus sibi cum Ioue summo
Cœles